



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Theodorus M. 7. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

habuit. Flosculum hunc tu ex odorum reliquiis , quas  
in terris reliquit , aestima. Et tamen ( ad Filium hæc  
dicebat ) gemma hæc tumulo ignobili abdita pulchrius  
nitere prohibetur. Quin amplius colis , qui tantum te,  
tantum me coluit ? Quid Matri Filius negaret ? pro-  
misit tunc ossibus sacris eum honorem , quem  
postea ab altero Episcopo tulerunt. Ego quid hic  
exclamem : utinam me omnes audiretis MARIAE  
Sodales ! O quam pulchrum est dígito Virginis  
monstrari ! quam pulchrum dicier : HIC EST ! Ex  
Vite Aquilon. Ioan. Vastov.

Celestis Pater probat muneribus charitatem : Filium  
se nescit , visceribus caret , naturam negat , ingratus est  
patri , qui auctorem vitæ sua non placat obsequiis , non  
devincit culu , muneribus non honorat . S.Pet.Chrys.  
serm.10.

### S. THEODORUS M. 7.Februarii.

**V**Nâ virtute Christianâ armatus THEODORVS  
Centurio patriæ terrorem draconem confe-  
cit. Et erat hoc pugnis majoribus præludere :  
monstrum alterum majusque Licinius Imp. immi-  
nebat. Hic siue quòd eam fortitudinem in milite  
amarer , siue , quòd invideret Christiano , ad se  
THEODORVM evocavit. Quin , cùm hic nuntias-  
set , si ad se ipse Imp. cum Diis suis accederet , fore  
ut hos merito honore coleret , non dubitavit Li-  
cinus , ut superstitioni virum tantum adderet ,  
iter ad illum insituere. Interea cælum pandi vi-  
debatur THEODORO , atque inde prodire , qui telis  
igneis dormientem configerent . vox quoque  
ejusmodi allapsa : Macte animo Theodore , quando ego  
tibi adero. Facilè sibi ipse THEODORVS hæc som-  
nia , sine alio augure , explicuit , vocemque cæli  
classici

classici instar habuit. Itaque cùm manè Deorum signa è suo larario obtulisset Imp. velut adoratus hæc in adyta abstulit. Ibi ille & Jovis fulmen, & Martis Palladisque hastas, & Veneris faces Cupidinisque arcus omnibus gigantibus fortior solus fregit, & quia aurea erant omnia aut argentea, ridiculos Deos pauperum prædam fecit. Hi cùm ulisci non possent ipsi sese, Licinius & se, & illas ulturus, in crucem agit THEODORVM, ferro transadigit. Inde puerile agmen sagittis suis scopum geminum, geminum Divi oculū accipit. Sed redidit hos ocello suo Angelus, & è cruce exsolvit. Mox ad gladium damnatur. Hunc ubi forti jugulo excepit, rude Superi donarunt. Ex Metaphr.

*Si dignum Dominus pati duxit, pati seruum quomodo videtur indignum? Erramus, erramus: qui non facit quod jussit Dominus, gratis sperat, quod Dominus promisit. S.Pet.Chrys.serm.28.*

## S. PARTHENIUS E P . 7. Februarii.

Puer PARTHENIVS piscatum exercuit, & lucrum pauperibus cessit. Sed neque pescator desit esse Sacerdos & Pontifex inauguratus, nisi quod prædam jam nobiliorem (animos) Deo transcriberet. Porro Stygi jam inde ab anno octavo decimo fuit meruendus. Et profectò vix alius fuit, qui sæpius orcum expugnavit; ut quocunque jam pedē suum ferre PARTHENIVM, inde referre suum malum dæmonem cerneret, etiam è sedibus, quas olim & multus infederat. Et forte eum ex homine nescio quo proscriptum ibat, cùm mitius aliquantum inferno exilium, porcorum corpora hic rogavit. Plus etiam indulxit PARTHENIVS, &, si hoc modò cederet, hospitium alterum in ho-